

Universitätsbibliothek Wuppertal

Ivstiniani Avgvsti Historia

Procopius <Caesariensis>

Lugduni, 1594

Vorwort

Nutzungsrichtlinien Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.
Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

urn:nbn:de:hbz:468-1-147

ADMONITIO AD CAN-
DIDVM ET HISTORIA-
rum studiosum Le-
ctorem.

DE instituto nostro, in Augusta historia Breuiariis & notis pro ingenij nostri tenuita te illustranda, præfationes in tomos quatuor proximis superioribus annis euulgatos satis supérque differunt. Procopio, Agathiae, Iornandi, qui Iustiniani expeditiones in Persas, Vandilos, Gothos descripsérunt, peculiare hoc volumen tribuimus: quod aliorum breuioribus scriptis prolixissimi libri nostrorum non facile vel commodè inseri possent. Procopium, Agathiam & Iornadēm vir doctissimus D. Io. Leunclaius olim edidit cum Zosimo: nec potuit in his recensendis & ornādis præstare quod optabat, quū ab initio nec Procōpij nec Agathiae libros integros Græcē descriptos haberet, Agathiāmque serius nancetus esset, quem Redingerus paulò ante obitum ad eum mitti iusserat. Satis verò imperitè tractatos hos à veteribus libra-

riis partim, partim negligenter suis ab in-
terpretibus, Leunclaius ostendit, subiun-
ctis ad margines librorum fragmētis vel
variis lectionibus, quas, vt ex fontibus
haustas, & ad mentem authorum maximē
conuenientes; in contextum passim ferē
reiecimus, & Leunclai castigationes dili-
genter retinuimus. Ad libros de Iustinia-
ni ædificiis perperam è Græco conuersos
notas ille adiecit in maximē vitiosis lo-
cis, quas omnes ad verbum excudi cura-
uimus. Iornandem, vt & Agathiam, quod
multa lectu dignissima, quæ non modò
Procopij, verū etiam aliorū historico-
rum mentem, in plerisque dubiis ac per-
plexis, recludere possint, necessariò adiun-
gēdos esse nostrū fuit iudicium. Leonar-
dum Aretinū recentiorem scriptorē, vt
qui omnia de Procopij libris sumpsisset,
quāuis cultiori sermone Latino reposita,
omittere visum est, ne iterata eiusdē argu-
mēti lectio tibi pareret fastidiū. Chrono-
logiam breuem adiunxi, ex D. Chytræo.
Si prolixiorē desideras, ad quartū tomum
historiæ Augustæ quam subiecimus con-
sulere potes. In ea etenim Iustiniani impe-
riū & gesta per annorū seriē digesta sunt.
Tu verò, nostræ de tuis studiis bene me-
rendi voluntati faue, & vale.

* iiij.